



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 99. Ernesti Hassiæ Landgravii anxietas circa sectæ suæ veritatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

## §. XCIX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1651.*Ernesti Hassiæ Landgravii anxietas  
circa sectæ suæ veritatem.*

Jam dudum Ernesto Hassiæ Landgra-  
vio suspecta erat veritas sectæ Lu-  
theranæ, quapropter sua dubia atque  
anxietates non raro suis exponebat  
Prædicantibus, a quibus tamen non-  
nisi verba, & jejuna tulerat responsa:  
Augebatur tamen adhuc magis in hoc  
Principe indagandæ veritatis studium,  
postquam anno hujus sæculi quadrage-  
simo octavo a Lamboyo Cæsareo Bel-  
lidue prope Geisseckam captus fuerat,  
nacta enim cum Viris eruditis Religione  
Catholicis conferendi occasione se a te-  
neris per Præcones suos deceptum, ac  
mendaciis, jactatisque in avitam Fidem  
convitiis præventum fuisse, haud ob-  
scure cognoverat; ne vero ad depo-  
nendum errorem inconsulta levitate  
permotus crederetur, seposito omni  
partium studio non modo Catholicorum  
libros, sed præcipuos etiam Lu-  
theranæ sectæ Authores Polemicos  
matura solertia pervolvit, ac in super  
conventum quorundam ex Theologo-  
rum præcipuis Francofordiæ celebra-  
ndum indixit: cum autem unacum Au-  
la sua eo contendere jamjam pararet,

*Acta disput.  
Rheinfels.  
Relat. Act.  
Rheinf.  
Anti-Val-  
lerian.*

*Hist. Eccles. Tom. LXI. Yy plu-*

Sæc. XVII. plures accepit literas, quibus Prædicantes obtentis variis excusationibus publicam disputationem cum Catholicis declinabant, uti ipsemet Landgravius conqueritur in iterata sua ad Francofordianos Præcones data epistola, quam, quia totam hujus negotii feriem, ac privati colloquii argumenta, modumque complectitur, huc integram adducere operæ pretium erit.

## §. C.

*Ejusdem Landgravii epistola ad Prædicantes ad congressum Francofordiensem vocatos.*

Annus jam agitur, cum nostræ ætatis vigesimo septimo nondum completo, proculdubio non absque singulari Dei providentia, scrupulos quosdam & dubia in Reformatæ Religionis dogmatibus concepimus. Inter quæ hæc præcipue digna consideratione occurrebant; quod nimirum, quisque e Sacro textu de doctrina fidei censere possit, tametsi ea sub anathemate proponatur a Concilio vere generali: hoc enim scrutinium nos quidem experiebamur impossibile. Deinde, quod Sacra Scriptura in fidei essentialibus sit clara, quam tamen nobis etiam in illis obscuram esse sentiebamus. Et quod

Ec-